

30p9 Demonstratur à Theone novo quodam demonstrationis exemplo: primum probatur per impossibile, quod impar metiatur parem per parem: at principium est definitionis Campano, ut revera est é definitione paris: tum probatur mensura dimidii per principium, quod tamen Theoni in principiis nullum fuit: & quod propositione non minus obscurum sit. Si totus dividat totum per aliquem, dimidius dividet dimidium per eundem.

31p9 Cogitur per impossibile é proxima, quia dati essent compositi.

32p9 Proprietas est reciproca: ideoque postulanda fuerat: licet non admodum obscure, attamen frustra demonstratur à Theone per 13p9.

33p9 Proprietas item reciproca est. Itaque temere demonstratur per impossibile.

34p9 Materies est definitionis: unde tertia species partium definienda fuerat. Talia sophismata fuerunt é definitionibus analogiarum libro quinto & septimo, ubi é materia definitionum factæ erant propositiones. Sed aliud sophisma hic insuper est, quod præceptum sit per negantiam, ut octavo libro quædam propositiones fuerunt de quadratis & cubis.

35p9 Demonstratur per compositionem 17 & 12p5: Causa tamen ipsa est é progressionem continuorum.

36p9 Demonstratur à Theone prolixissima demonstratione, & omnes feré propositiones antegressas complectente: ut dilata in extremum propositio videretur, quæ totam arithmetica ad sui demonstrationem requireret. At causa veri nulla hic est, & Apollonius, Quæ eidem æqualia, isto modo justissime demonstrasset.

## LIBRI VIGESIMI FINIS.

---

# PETRI RAMI SCHOLARUM MATHEMATICARUM

## LIB. XXI. IN PRIMAM PARTEM

*decimi elementorum generalem de symmetris, asymmetris, rationalibus, irrationalibus.*



Liber decimus communem magnitudinũ differentiam cõtinet symmetrarum, asymmetrarum, unde rationalium & irrationaliũ differentia derivatur: Quod in numeris antiquius est, sed valde dissimile. Numerus enim suapte natura primus est aut compositus: Deinde numeri duo quilibet inter se primi aut compositi: idque unitatis mensura dijudicatur. At in magnitudine secus est. Neque enim ut in numero unitas, sic in magnitudine minima mensura nota est. Sed mensura magnitudinis